DISPVTATIO JVRIDICA
DE
POSSESSIONE VNIVERSITATIS, ET QVOMODO AB EADEM POSSIDEATVR?

Von Gemeinde-Güthern, und wie diese von derselben besessen werden.

EX DECRETO INCLYTI ORDINIS JVRIDICI,

PRAESIDE

D. CASPARE HENR. HORNIO,

JCTO ET ANTECESSORE, CVRIAE PROVINC. SCABIN. ET JVRIDICAE FACVLT. NEC NON JVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIA INFERIORE ASSESSORE,

PRO OBTINENDIS HONORIBVS DOCTORALIBVS

AD D. XV. JVLII, A. MDCCI.

IN AVDITORIO MAJORI


SOLENNI RITV DISPVTABIT

ERNESTVS FRIDER. MEDERVS, PIRNA MISN.

CONSIST. ECCLES. VITEMB. ADVOC. ORDIN.



VITEMBERGAE, EX OFFICINA BOSSOEGELIA. 1744.




PROOEMIVM.



Inter eas, quæ circa mei & tui perſecutionem in Judicio frequentari lites conſueverunt, parum abeſt, quin principem ſibi locum vindicent de poſſeſſione tum proprie tum analogice ſic dicta controverſiæ. Quanto enim notiora, inter plebejos etiam, poſſeſſionis commoda ſunt; tanto majorem pro eadem tuenda vel impugnanda operam impendi, paſſim videmus. Cujus generis litium frequens diſcuſſio multos jubet credere, omnem poſſidendi modum adeo hodie definitum eſſe, ut explorato poſſeſſionis cujuscunque litigioſæ facto, nullum de jure vel actoris vel rei dubium exoriatur amplius. At vero, quantum illi fallantur, dici vix poteſt. Vt enim alias controverſas maxime circa poſſeſſionis argumentum quæſtiones, quarum longisſimum recenſere nume-

rum possem, prorsus taceam, unicam saltem, eandemque hactenus in Collegiis Juridicis diversimode decisam, quo pacto scilicet universitas, tanquam persona moralis, possesionem acquirere, & amittere possit, publici, quod a me poscitur, speciminis loco, evolvendam sumsi. Cum vero specialem hunc possidendi modum assequi rite vix possimus, nisi prius, quid possessio, quidque universitas in jure nostro denotet, pervestigatum aliquo modo fuerit, de possessione pariter & universitate pauca generatim præmittam, quæ ipsius tandem modi, quo universitas possessionem acquirere, retinere & amittere dicatur, tractatio sequi tanto commodius possit. Id quod dum facere ingredior, Deum ter O. M. ardentissimis merito precibus imploro, ut institutum meum ita moderari clementissime velit, quo omnia in altissimi sui nominis gloriam & meum simul commodum vergant!



I. Vo-

I.

Vocabulum possessionis, quod juxta *L. 1. π. de A. A. P.* a pedibus & quasi positio nuncupatur, multifariam in jure nostro accipitur, & (1) quidem pro *ipsa rerum proprietate* sive dominio, ut in *L. 37. π. de judic. L. 78. de V. S. L. 4. C. de Contrab. emt.* in qua possessionem dominium denotare, dicendum est, nisi statuere velimus, falsum esse, quod dicitur in *L. 3. §. 4. π. de A. A. P.* eandem rem ex pluribus causis possideri ab aliquo posse. (2) pro *ipsa re*, quæ possidetur, ut in *L. 4. §. 2. & L. pen. π. de alien. ind. mut. caus. L. 17. π. de S. P. R. L. 3. π. de extraord. cognit. L. fin. §. f. C. de compensat. L. 2. C. de probat.* (3) pro *usucapione*, *in L. 19. π. ex quib. caus. maj. & ibid. Godofr. innot.* (4) pro *bonorum possessione*, h. e. successione prætoria. *t. t. π de B. P.* (5) proprie *pro jure, quo res tam cum, quam absque dominii jure detinetur:* quæ possessio in hac ultima significatione est *vel simplex*, ut nuda rei detentio. *L. 7. §. 11. π. commun. divid. L. 3. §. fin. & L. 4. π. ad exhib. L. 2. §. 1. π. pro hered. L. 4. π de R. V.* vel *qualificata*, quæ fit cum affectione seu animo sibi habendi. Et hæc describitur quod *sit detentio rei cum affectione seu animo suo nomine sibi habendi. L. 1. §. 20. de A. A. P.*

Etymolog. & homonym. possessionis.

Descriptio possess.

II.

Dividitur in *propriam*, quæ est rerum corporalium. *L. 3 pr. π. d. t. & impropriam* sive *quasi talem*, quæ est rerum *incorporalium. L. 23. §. 2. ex quib. caus. maj. L. 10. si servit. vindic. L. 3. §. 17. de vi & vi arm.* hæ enim cum in

Divisio 1.

intellectu saltem consistant, neque per se extent, verum aliis, tanquam subjecto, inhæreant & innitantur, proprie non possidentur. *L. 32. §. 1. π. de S. P. V. L. 4. §. 27. π. de usurp. & usucap.*

III.

Divisio 2. Porro dividitur vel ratione *modi*, vel ratione *formæ*. Ratione modi possessio vel *naturalis* dicitur, vel *civilis. L. 1. §. 9. π. de vi & vi arm. L. 2. §. 1. π. pro hered. Civilis* dicitur, quæ animo retinetur absque corporali rei detentione. *L. 10. C. de acquir. & retin. possess. L. 3. §. 13. π. eod. Naturalis est*, si quis rem naturaliter, h. e. animo & corpore teneat, & eidem insistat. *dd. LL.* Ratione *formæ* possessio civilis est, qua quis rem tenet *animo domini*, & *sibi habendi*. Naturalis est, qua quis rem alienam, animo sibi habendi, tenet, propter jus aliquod in re, præter dominium *L. 3. §. f. π. ad exhib. L. 17. π. de public. in rem act. L. 22. §. 1. π. de noxal. act. L. 12. π. de A. A. P.*

IV.

Divisio 3. Tandem dividi possessio potest, ratione qualitatis, in *justam* & *injustam*. *L. 3. §. 5. π. d. t. L. 2. L. 3. pr. π. uti possid.* Illa dicitur, *quæ justo & legitimo titulo innititur;* hæc vero, *quæ illo destituitur.* Quam alii, sed minus apte, æquipollere possessioni bonæ f. & m. f. asserunt. Etsi enim omnis, qui bona f. & sic civiliter possidet, juste possideat, cum bonæ f. possessor titulum habeat justum; non omnem tamen, qui juste possidet, statim etiam bona fide & sic civiliter possidere,

dere, creditoris indicat exemplum, qui licet juste possideat pignus, non tamen bona f. & cogitatione domini possidet. *L. 22. §. 1. π. de noxal. act.* & sic est in scientia rei alienæ. Unde etiam illi ob defectum bonæ fidei non procedit usucapio.

V.

Universitas in sensu generalissimo significat *collectionem plurium rerum inter se distantium, uno nomine illis designato: vel corpus ex pluribus individuis constans communi nomini subjectis.* Hæc autem collectio est vel *personarum*, vel *rerum* in specie sic dictarum: & quidem *incorporalium & corporalium simul*, qualis est hereditas, peculium, territorium. *L. 238. π. de V. S. L. 20. §. 10. π. de hered. petit. L. 1. pr. π. de R. V. L. 1. §. 1. π. quor. bon.* vel unius horum tantum, & quidem corporalium, qualis universitas est grex orium. *L. si grege π. de Legat. 1.* it. *L. rerum mistura, de usucap. L. 70. §. 3. π. de usufr.* item Gerada, GOLB. *de Gerad. c. 1. n. 1.* vel incorporalium, e. c. jurisdictio universalis. LOSS. *de jur. univers. cap. 1.* RICHTER. *de universit. c. 1. §. 1.* ECKOLT. *ad tit. π. quod cujusc. univ.*

Vniversitas in sensu generalissimo quid?

Divisio & subdivisio.

VI.

De hac rerum universitate, tanquam ab instituto nostro aliena, agere jam non attinet: dicendum tamen est de ille, qua plures personæ in unum systema colliguntur. Tale autem systema constituitur, quando plura individua humana inter se ita uniuntur, ut, quæ vi istius unionis volunt, aut agunt, pro una voluntate una-

Vniversitas personarum in sensu generali quid?

unaque actione, non pro pluribus censeantur. Id quod etiam tunc fieri intelligitur, quando singuli voluntati vel unius hominis vel concilii ita se subjiciunt, ut pro omnium voluntate actioneque agnoscere haberique ab aliis velint, quicquid ille vel illud statuerit aut fecerit circa illa, quæ fini societatis congruunt, atque ad unionis illius naturam, quatenus talem, spectant. Inde est, ut, quæ a coalitis in unam personam compositam proficiscatur actio, pro una actione ex una voluntate habeatur, quamvis ad eandem plures personæ physicæ concurrerint: quæ ut singulæ spectatæ aliud sunt & seperatum quid ab illa ipsa collectione, quæ ex singulis composita est. L. *10.* §. *4.* *π de in jus vocand.* Atque hinc talis persona composita jura ac bona peculiaria potest ac solet obtinere, quæ singuli ex corpore, qua tales, sibi tribuere, adrogare & vindicare non possunt. Vti vero in aliis persona hæc moralis composita imitatur naturalia corpora; ita & in eo conveniunt, ut, quemadmodum physica corpora eadem maneant, licet temporis successu per accessiones & decessiones varias particularum subinde aliquid mutetur; pariter etiam per particularem successionem individuorum non desinat eadem manere persona composita. L. *7.* §. *1. quod cujusc. univers. nom.* nisi uno eodemque tempore talis incidat mutatio, quæ prioris corporis rationem plane tollat, nec supersit aliquid, ex quo in pristinum statum redire queat. Ideo licet ejusmodi persona moralis ex una persona physica constitui nequeat, semel tamen constituta in uno conservatur. L. *85.* *π. de V. S.* *L. 7.* §. *ult. quod cujusc. univers.*

convenientia universitatis, tanquam personæ moralis, cum persona physica.

conf.

Conf. PUFEND. *de J. N. G. & C. Lib* 1. §. 13. RICHTER. *diſſert. de univerſ. c.* 2. §. 1. *quæ extat. in part. II. Vol. nov. diſſert. jur. publ.* a FRIZSCHIO *collect. n.* 5. LOSSAEUS *de jur. univerſ. part.* 1. *c.* 1.

VII.

Varia variorum definitiones univerſitatis in ſenſu generaliori.

Univerſitas vero talis varie a variis definiri ſolet. Alii dicunt, eſſe *ſocietatem ſive multitudinem hominum ad communem utilitatem communibus legibus utentium: vel corpus ex diſtantibus perſonis unitum communibus legibus ad communem utilitatem utens* ECKOLT. *ad tit. π. quod cujusc. univerſ. nom.* Alii aſſerunt, eſſe *plurium hominum collectionem in unum corpus myſticum, cujus ſignificatio eſt inventa per intellectum.* ZASIUS *decis.* 17. *n.* 14. Quæ quidem ut & aliæ, qualis eſt apud STRUVIUM *exerc.* 7. *th.* 41. & LOSSAEUM *de jur. univerſ. d. l.* facile, cum non adeo diſſideant, tolerari poſſunt. Quoniam tamen in jure noſtro civili vocabulum univerſitatis paulo ſtrictius accipi ſolet, ideoque JCti de ſpecialiori quadam definitione ſoliciti ſunt. Quam ob cauſam WESENBECIUS *tit. π. Quod cujusc. univerſ. nom.* univerſitatem, ait, *eſſe hominum in civili ſocietate viventium communitatem*: qualis eſt NB. *in oppidis & pagis.* Quæ ultima verba ideo adjecit, ut diſtinguat univerſitatem ab illâ ſocietate, quæ perfecta eſt, & ſumma poteſtate pollet, nullique alii obnoxia, ſed independens, atque uno verbo RESPUBLICA dici ſolet: in qua ipſa republica univerſitates continentur. Sed licet ita reſpublica diſcernatur ab univerſitate, licet etiam a familia differentia oſtendatur, quæ

Weſenbecii definitio Univerſitatis in ſenſu ſpecialiori, minus tamen adæquata.

quidem etiam societas est, sed non civilis ad communem utilitatem, verum patrisfamilias tendens: res nondum tamen confecta est, nec definitio adæquata, quoniam sub eadem collegia & ἑταιρίαι, quæ societates, communitates, sodalitia, corpora, *L. 1. π. quod cujusc. univerf. L. 10. §. 4. π. de in jus vocand. L. 1. π. de Colleg.* dicuntur, ac etiam universitates sunt, ut ex eodem tit. *junct. L. 12. §. 3. π. de in jus vocand.* apparet, comprehendi non possunt. Itaque negative definiendam existimavit universitatem HVBERVS *ad tit. de R. D. §. 10.* quod sit *civilis hominum societas, quæ nec familia, nec libera sit respublica.* Sicque ad universitates refert Collegia artificum, studiosorum, Academias, vicos, pagos, jurisdictiones, municipia, seu civitates, quæ in jure nostro sæpe etiam analogice respublicæ passim vocantur. *L. 10. §. 4. de in jus vocando.* Ille ipse vero positive illam ita, & non male, definit, *quod sit multitudo hominum certo sub regimine, permissu summæ potestatis, communis commodi ergo, sociata.*

Huberus quomodo universitatem negative & positive definiat

VIII.

De actionibus, quæ a tali persona morali composita proficisci solent, omnibus, agere hoc loco mei non est instituti, sed tantum de illis, quæ circa possessionem occupantur, quatenus nempe possidere, vel ab illa possideri queat. Quod dum facio, de eo constare debere intelligo, *utrum universitas possit ulla ratione possidere:* quæ quæstio præjudicium facit. Ex fragmentis vero veterum JCtorum, quæ in Digesta relata sunt, hac de re dubitatum disputatumque fuisse, con-

Evolutio quæstionis præjudicialis: utrum universitas ulla ratione possidere

conſtat. PAVLVS *Lib. 54. ad Edict.* ait: *municipes per ſe nihil poſſidere poſſunt: quia uni,* (vel potius *univerſi,* ut vulgata habet, hac parte præferenda Florentinæ: quemadmodum etiam *in libro ſingulari regularum* VLPIANI *tit. qui hered. inſtit. poſſ.* legitur, quia univerſi hereditatem cernere non poſſunt,) *conſentire non poſſunt. L. 1. §. 22. π. de A. A. P.* Negat itaque, municipes municipii nomine & reipublicæ, poſſidere: quoniam, uti ipſius ratiocinatio eſſe videtur, ſinguli non ſunt una perſona, nec ipſa univerſitas; univerſi autem, vel totum corpus conſentire non poteſt, ut VLPIANVS quoque docet *L. 1. π. de libert. univerſit.* i. e. quia univerſi conſtituunt perſonam non veram, ſed fictam tantum, & repræſentatam, talem ſcilicet collectionem, quæ intellectu & voluntate caret: qua tamen opus in acquirenda atque conſervanda poſſeſſione. *L. 3. §. 1. π. h. t.* Atque ne forte dicat aliquis, municipes tamen poſſidere forum & baſilicam, hisque ſimilia balnea ſive thermas, porticus, theatra, amphitheatra & campum publicum, aliaque loca publicis locis inſervientia: ipſe VLPIANVS reſpondet d. L. *hæc non poſſidere municipes, ſed iis tantum promiſcue uti:* aliud vero eſt poſſidere, aliud longe uti: quod luculenter oſtendit CVIACIVS *ad L. 1. pr. de A. A. P. tom. II. oper. poſth. p. 731.* Erant tamen alii, inter quos Nerva filius, Labeonis & Proculi Sectator, qui hanc ſententiam reſtringendam duxerunt, & excipiendum ſervum peculio inſtructum. Itaque NERVA FILIVS ait, *per ſervum, quæ peculiariter,* ſive peculiari cauſa *acquiſierint,* & hic apprehenderit, & *poſſidere & uſucapere poſſe.* Sed fue-

quæat? Negativam amplectitur Paulus. ratio 1.

Idem ſentire videtur Vlpianus. ratio 2.

ratio 3.

Exceptio Nervæ filii; ab aliis reprobata.

fuere tamen, qui nec hoc admittebant, verum contra putabant, simpliciterque adhærebant priori sententiæ, ex ea ratione, *quoniam ipsos servos non possideant municipes*, atque sic ineptum videbatur, per illos possidere posse.

ratio 4.

IX.

Confutatio rationum pro sententia negante allatarum. Resp. ad rat. 1.

Sed vero hæc omnis disputatio nimiam & miseram quandam subtilitatem sapit, ac si excutias rationes, quæ allegantur, parum ex iis confici, facile intelligimus. Namque primo utique falsissimum est, si quis existimet, per rerum naturam fieri non posse, ut communitas consentire queat. Etsi enim universitas non sit una persona physica, quæ intellectu & voluntate pollet, ea ratione, qua unus homo his facultatibus gaudere potest: persona tamen quædam moralis est, ex pluribus subjectis, intellectu & voluntate pollentibus, constans; atque adeo eadem, quæ persona physica, efficere potest, sicque etiam consentire, *ut supra §. VI. dictum.* Et sane si plures in unam rem consentire non possent, nulla pactio, nulla conventio daretur, quippe quæ sunt duorum vel plurium in idem placitum consensus. *L. 1. π. de pact.* Et si quis objiciat, non facile, etiam in universitatibus minoribus, omnes in idem consentire: sufficiet tamen id interdum fieri; ac morali æstimatione idem est, si plures consentiant, ac si omnes consensissent, quod alioquin exitus rei non detur, & iniquum sit, partem majorem, de qua credibile, optima sentire, minorem sequi. GROT. *de J B & P. L 2. c. 5. §. 17. ibique Auct. citati.* Porro licet in universitate sint infantes, pupilli, furiosi, & multi alii, qui consen-

ſentire non poſſunt; cum tamen reliquorum numerus hos vincat facile, defectus, quem patiuntur, illorum nihil obeſt, poteſtque etiam ab aliis, puta tutoribus vel curatoribus ſuppleri. LOSSÆVS *de jur. univerſ. part. 3. c. 16. n. 4.* Atque adeo apparet, illam rationem, quaſi municipes non poſſint conſentire, maximopere vacillare: niſi illam ad conſuetam antiquorum municipiorum adminiſtrationem trahere & reſtringere velimus. Namque municipia hoc ſingulare olim habebant, ut non omnes cives, in unum coeuntes, de partibus adminiſtrationis deliberarent ac decernerent, ne quidem plebis tribuni, ſed pleraque omnia per Decuriones aut adminiſtratores, periculo ordinis, fierent, qui etiam interdum Syndicos ſuo ex decreto conſtituerunt *L. 19. ad Municip. L. 1. §. 1. π. quod cujusc. univerſit. nom. L. 15. §. 1. π. de dol. mal.* Iſto ergo ſtatu non poterat dici, omnes ac ſingulos cives & incolas per ſe conſenſiſſe. D. SCHILTER. *exerc. 22. th. 54.* Quo poſito admitti quidem poſſet, municipes ipſos per ſe non poſſidere id, cujus poſſeſſio ex conſenſu, & facto Decurionum acquiſita: poſſidebunt tamen per hos; nec prius etiam ad alias univerſitates trahi debet.

Reſtringitur ſententia affirmans, quod ad ſola municipia antiqua.

Porro verum quidem eſt, municipes, ut ſingulos, non poſſidere forum, aliasque res univerſitatis; quia nec res hæ ſingulorum ſunt: nihil tamen hoc vetat, quo minus hæ res, uti ſunt univerſitatis, a tota univerſitate, a municipibus, collective ſumtis, poſſideri poſſint. *ad rat. 2.*

Cur vero magis per ſervum, quod hic peculiariter acquiſivit, quam quod ultra peculium per eum acquiſitum, poſſidere queant, nulla idonea ratio reddi poteſt. *ad rat. 3.*

Nam licet ex peculii causa per servum ignorantibus possessio quæratur, nec scientia domini opus, *L. 44. §. 1. π. de A. A. P. L. 1. §. 5. L. 3. §. 12. L. 24. π. eod.* atque adeo, ut videtur, nullo animo & voluntate possidendi, qua carere universitatem, a quibusdam creditum quia tamen id intelligendum de scientia atque voluntate speciali & expressa, non de generali ac tacita, quæ utique in concessione peculii intercessit. *d. L. 1. §. 5. de A. A. P.* ubi ZASIVS & BRVNNEMANN. apparet, & isto casu opus esse voluntate & animo; quo si destitueretur universitas, nec per servum peculio tenus acquirentem possidere posset. Quæ deinde allata fuit, nec per servos possidere posse, ideo, quia nec ipsos servos possideant, futilis est ratiocinatio. Quod si enim maxime servos non possiderent, quod tamen non concedendum, ut ex dictis apparet: certum tamen est, per eos, quos non possidemus, nos possidere posse, ut per liberum hominem, puta procuratorem, tutorem, filiumfamilias. *§. 1. 5. J. per quas person. cuique acqu. L. 1. §. 20. L. 32. pr. π. de A. A. P.*

ad rat. 4.

X.

Ratio dubitandi 5. quam Zasius affert, & simul confutat.

Præter ista vero dubium superest, quod ZASIVS movet ad hanc nostram Legem, universitatem comparari cum hereditate jacente. *L. 22. π. de fidejuss.* quæ tamen ipsa hereditas jacens possidere non potest. *L. 1. §. Scævola 15. π. si is, qui testam.* Sed non extendenda hæc est comparatio ad ea, in quibus manifesta est differentia. Scilicet hereditas, quamdiu jacens spectata, repræsentat defunctum. *§. 2. J. de hered. instit. L. 64. π. eod.*

eod. cujus cum nullus ſit animus, nulla voluntas, nec ipſe poſſidere poteſt. At vero univerſitas viventes repræſentat, animo et voluntate non deſtitutos, qui in unam rem conſentire, atque voluntatem declarare poſſunt; & per hoc etiam poſſidere. ZASIVS *d. l. &* *LOSSÆVS de jur. univerſit. part. 3. c. 16. n. 8.* Itaque ob has cauſas jam olim iſtas ratiocinationes rejecit uſus fori. Namque VLPIANVS *in L. 2. π. de A. A. P.* *Sed hoc jure utimur*, ait, *ut & poſſidere & uſucapere municipes poſſint, idque eis & per ſervum, & per liberam perſonam, acquiratur.* Idem VLPIANVS *in L. 7. §. 3. π. ad exhibend. Municipes*, inquit, *ad exhibendum conveniri poſſunt, quia facultas eſt reſtituendi nam & poſſidere & uſucapere eos poſſe, conſtat. Idem & in collegiis ceteriſque corporibus dicendum erit.* Quibus jungi debet ejusdem VLPIANI locus *in L. 3. §. 1. π. de pollicit. Sed & ſi deſierint poſſidere municipes, dicendum erit, actionem illis dandam.* Qui enim deſinit poſſidere, utique poſſediſſe illum, neceſſe eſt.

Textus Juris Civilis pro ſententia affirmativa facientes.

XI.

Poſſidere autem poſſunt (1.) per ſervum publicum, non tantum ex cauſa peculiari, ſed etiam ex non peculiari, apprehenſa poſſeſſione per ejusmodi ſervum: prout definit VLPIANVS *in L. 9. § 6 in fin.* & PAVLVS *in L. 10. π de public. in rem act.* Quod ZASIVS extendit ad homines proprios, *ad §. noſtr. fin. L. 1. π. de A. A. P.* (2.) per liberam perſonam, veluti per actorem vel Syndicum, ſeu procuratorem univerſitatis, qui res municipii, vel alterius univerſitatis, gerunt, & qui-

Per quosnam poſſidere queat univerſitas?

quidem vel unum, vel plures universitatem repræsentantes: exemplo privatorum, qui per liberam quoque personam possessionem acquirere, & possidere possunt. Quod utilitatis causa receptum est, ut facilius negotia sua promtiusque expedire valeant. *L. 1. §. 20. & L. 2. ff. de A. A. P. L. 1. C. eod. POSTIUS de manuten. observ 36. n. 10. TUSCHUS verb. possessio conclus. 423. n. 2. & 4.* Quibus tamen casibus mandato opus est. *L. 42. §. 1. ff. d. A. A. P. CRAVETTA consil. 383. n. 5.* vel speciali *L. 42. §. 1. ff. de A. A. P.* vel saltim generali. *L. 41. ff. de usurp.* JASON & ZASIUS *l. 1. §. 20. ff. de A. A. P.* Loqui autem in *d. l. 41.* NERATIUM de procuratore generali, inde constat, quia negat, vitium purgari, si res furtiva in ejus potestatem pervenirit; quod sane secus haberet, si mandatum speciale de persequenda & recipienda re habuisset: & nisi ineptum velimus facere JCtum, oportet de eodem genere procuratoris accipi, quod statim sequitur, per procuratorem nobis acquiri possessionem. Ubi igitur negotiorum ratio exigit rem v. c. emi, idem in procuratore generali admittemus BACHOV. *ad §. ult. J. per quas person. nob. acquir.* Vel etiam per administratores, per regentes collegium, vel universitatem. ZASIUS *d. l. num. 17.* LOSSÆUS *d. l. n. 12.*

XII.

Universitas seu illi, qui constituunt universitatem, ipsi quoque per

Utrum vero ejusmodi personis non intervenientibus, universitas, vel illi, qui sunt de universitate, ipsi per se possessionem adipisci & possidere queant? discutiendum est. Negat hoc CUJACIUS *tom. II.*

postb.

poſth. ad d. §. *ult. L. 1. π. de A. A. P. pag. 745.* ſic evenire, dicens, ut, quod per ſe municipes poſſidere non poſſunt, poſſidere tamen poſſint per alios, ut infans, aut furioſus. Quod & facit *ad l. 2. π. de A. A. P. in tom. IV. poſth. part. poſter. pag. 270.* Sed non exiſtimo hac parte viro magno, & qui illum ſequuntur, eſſe accedendum, qui & ipſe alioquin in loco mox citato hac lectione *d. Legis 2.* qua auctoritate, neſcio, utitur: *idque eis & per ſe, & per ſervum, & per liberam perſonam acquiratur.* Etſi enim hæc verba *per ſe* nec in Florentina, nec in aliis Codicibus, quantum ego quidem ſcio, hoc loco habentur: ſufficit tamen, VLPIANVM in genere edixiſſe, jam ſuo tempore iſto jure uſos ſe eſſe, ut & poſſidere & uſucapere poſſint municipes, nec ad priores duos caſus ullibi hæc ſententia reſtricta legatur. Et quæ de ſervo ac libera perſona *in d. L. 2.* habentur, tantum abeſt, ut hunc modum, de quo quæſtio, excludant, ut potius ampliationem tantum, & exempla contineant ejusmodi poſſeſſionis. Quid? quod in aliis locis, ſupra allegatis, abſolute municipes & collegia univerſitatis poſſidere dicitur, nullaque ratio allegatur, ob quam, uti perſona phyſica per ſe poſſidere poteſt, ita perſona moralis per ſe nequeat poſſidere.

ſe poſſidere poſſunt, prædictis perſonis non intervenientibus. Confutatur Cujacius negans.

XIII.

Et quod conſentire poſſit, jam ſupra dictum eſt, nemoque dubitabit, actus tales ab univerſitate fieri poſſe, quibus ad corporalem apprehenſionem, quæ in acquirenda poſſeſſione requiritur, *l. 3* §. *1. π. de A. A. P.* & tuitionem poſſeſſionis opus eſt. Finge, univerſi-

C tatem

tatem emisse fundum, omnes de universitate adesse, his tradi fundum, eosque apprehendere possessionem; occupareque istum, quis dubitabit, possessionem esse acquisitam? Fac porro, omnes de universitate, quotannis pascere pecora in fundo, vel colligere fructus, cædere ligna, aliaque facere, quæ dominus facere solet, MASCARD. *de probat. T.3. C. 1183.* apta parum est dubitatio, utrum possideat, nec ne, persona hæc moralis. Quod & eodem modo in quasi possessione jurium, scil. rerum incorporalium, se habebit, si v.c. omnes in alieno fundo pascant pecora, vel hæc ad aquam appellant, non video, cur non possit quasi possessio illius esse acquisita. POSTIVS *de Manuten Obs. 36. num. 7.* LOSSÆVS *de jur. univers. part. 3. c. 16. num. 13.* Quod vero de tota dixi universitate, illud etiam de majori parte ejus procul dubio verum est. Quod enim major pars effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, ait SCÆVOLA *L. 19. ff. ad Municip. de incol. ubi GODOFR.* Cujus rei ratio jam supra indicata est. Et licet per LL. regula hæc interdum officium perdat: non tamen id hoc loco metuendum, cum de actu universitati utili quæstio sit, ubi, neminem, credibile est, facile dissensurum. PEREZ. *ad tit. C. de jud. n. 15. 16.*

Exemplum, quo illustratur sententia affirmans, quod scil. universitas consentire, atque possessionem vel quasi apprehendere possit.

Major pars universitatis quod in hujus commodum suscepit, a tota universitate factum censetur.

XIV.

Uti vero ex his apparet totam universitatem, seu omnes de universitate, vel saltem majorem eorum partem, possessionem adipisci & retinere posse; ita illud super est excutiendum, utrum ex hujus vel illius, multorum

Universitates per particulares quoque homines nec totam universitatem,

torum etiam, non tamen majorem partem constituentium, actibus possessio acquisita dici & conservari queat? Quo quidem loco illud primo notandum, rem carere dubio, si mandatum adsit universitatis expressum: nam si actus possessorii, prævio tali mandato totius corporis, nomine illius suscepti a quibusdam membris, pro actoribus vel procuratoribus universitatis habendi sunt, atque adeo omnia hic repetenda veniunt, quæ antea dicta. CRAVETTA *Consil. 317. n. 4.* Porro, sicuti mandatum etiam tacitum esse potest, *L. 6. §. 2. & L. 18. π. mandat.* ita hoc quoque casu id locum habebit. Quando igitur sciente & patiente universitate, sive iis, qui eam administrant, possessio a singulis nomine universitatis apprehensa est, idem erit, ac si ab omnibus, vel mandato omnium, facta: siquidem tunc id, quod factum a singulis, censetur ab universitate factum, quanto sc. universitas scivit & passa est, nec contradixit, factumque non fuerit momentaneum PARIS. *IV. consil. 91. num. 19.* BENINTEND. *Vol. I. part. II. decis. 70. n. 19.* tantoque magis, quod actus illi respiciant ipsius utilitatem, & principaliter ad eam pertineant. Idem *d. l. n. 18.* Tandem quemadmodum subsequens ratihabitio mandato æquiparatur, *L. fin. C. ad SC. Maced.* ita etiam, illa accedente, per singulos acquiri potest universitati possessio. *L. 42. §. 1. π. de A. A. P.* LOSSÆVS *de jur. univerſit. part. III. c. 16. num. 12.* modo termini habiles ponantur, & ratihabitio fiat, antequam alius possessionem adeptus: quod eleganter exponit MYNSINGER. *Dec. II. R. 20. n. 47.* Extra hos autem casus utique negandum est, universitati per singularia ejus membra possessionem vel quasi acquiri posse.

nec majorem ejus partem constituentes acquiri possessio potest, modo tamen mandatum universitatis præcedat, vel ejusdem ratihabitio sequatur.

Alioquin si neutrum allegari possit, possessio universi-

tati per singularia ejusdem membra non acquiritur. posse. Cum enim aliud sit universitas, aliud singuli, ut supra dictum, non potest dici, ab universitate factum esse, quod a singulis factum est. Quodsi igitur susceptum quid fuerit nomine proprio, & privati com-

ratio hujus asserti. modi causa, quod præsumitur, POSTIVS *de Manuten. Obs. 42 n. 65.* MEVIVS *loco mox citando*, res caret dubio; atque nihil potuit esse acquisitum universitati, cum nil factum nomine illius. *L. 1. §. 20. L. 42. §. 2. π. de A. A. P. L. 47. π. de usucap.* licet etiam omnes de universitate fecerint. HONDED. *Vol. I. part. II. consult. 79. n. 29.* MEVIUS *ad Jus Lubec. part. II. tit. 3. num. 18.*

Ejusdem amplicatio. MYNSINGER. *Dec. II. R. 19. n. 46.* Quodsi vero maxime nomine universitatis tale quid factum, idem tamen erit dicendum. Neque enim aliis per liberas personas possessio potest acquiri, sine mandato. *L. 42. §. 1. π. de A. A. P.* nec id fieri sine animo, & voluntate. *L. 53. π. de A. R. D.* POSTIVS *de Manuten. Obs. 36. n. 2. & 3.* HONDED. *Vol. I. part. II. cons. 17. n. 9.* CRAVETTA *cons. 382. n. 4. & cons. 972. n. 3.* MYNSINGER.

Exempla. *Dec II. R. 19. n. 51.* Atque hinc si maxime hi vel isti ex universitate in loco alieno pecora paverint, vel ligna aut lapides cæciderint, sive suo nomine universitatis, id factum, nulla quasi possessio pasturæ, aut juris lignandi, vel lapides cædendi, acquisita censetur universitati; nec per testes probatur, dicentes, quod homines ejusmodi singulares de universitate paverint bestias, fructus collegerint, aut lapides in tali loco, vel ligna inciderint &c. PONTVS *de spol. Lib. II. cap. 14. n. 99.* PVTIVS *Lib. XXII. Dec 26.* HONDED. *Vol. I. part. II. d. cons. 17. n. 27.* Aliud exemplum habet MYN-

SIN-

SINGER. *Dec. II. R. 19.* Si cives Ratisb. plerique libere ſine mercium expoſitione prætermavigaſſent civitatem P. quæ privilegium exonerandi merces (Niederlage) ſibi vindicat, per hoc non eſſet acquiſita quaſi poſſeſſio libertatis R. incolis omnibus, velut univerſitati: niſi omnium nomine factum, & de mandato ipſius univerſitatis expreſſo conſtet, vel de ſcientia illius, aut eam repræſentantium. CARPZOV. *part. II. c. 6. d. 18.* ex qua mandatum tacitum colligi poteſt. MASCARD. *concl. 1190. n. 10. & 11.*

XV.

Ideoque ſi de probanda poſſeſſione univerſitatis quæſtio ſit, cautus debet eſſe advocatus, ut recte illam ſuſcipiat, recteque articulos conficiat, ſuper quibus teſtes examinantur. Namque primo id debet obſervare, ut dicat, actus poſſeſſorios a ſingulis, quatenus membra ſunt corporis, & ſic nomine univerſitatis, geſtos eſſe, qui, ſi nomine proprio fuerint ſuſcepti, nihil proderunt univerſitati, nec ratihabitio locum inveniet. MYNSINGER. *Dec. II. R. 19. n. 47.* Deinde addat, mandato univerſitatis expreſſo id factum eſſe; vel ſi mandatum hoc deficiat, aut verendum, ut probari poſſit, mentionem faciat ſcientiæ, vel ſaltem patientiæ univerſitatis, quæ ſcientiam præſupponit. MASCARD. *concl. 1190. n. 17.* POSTIVS *d. l. n. 14.* Quæ patientia non quidem exactu quodam momentaneo, ex quo ſcientia omnium non poteſt colligi; POSTIVS *d. l. n. 8.* Sed ex actibus tamen ſucceſſive continuatis per ſingulares, probari poteſt. PETR. DE

Cautela advocato, acquiſitionem poſſeſſionis pro univerſitate probaturo, commendanda.

ANCHORAN. *consil.* 157. BENINTEND. *Dec.* 70. *n.* 17. LOSSÆVS *de jur. universit. P.* 3. *c.* 17. *n.* 15. qua probata, mandatum tacitum vel ratihabitio probata censetur. CRAVETTA *consil.* 382. *n.* 5. HONDED. *Vol. I. P. II. consult.* 17. *n.* 78. Quot vero actus necessarii sint, id definiri nequit, sed arbitrio judicis relinquendum est. *arg. L.* 1. *π. de jur. de lib.* Ceterum si per administratores vel officiales publicos possederit universitas, factum tantum, non vero mandatum, probandum est, si scilicet constet, esse illos tales, pro quibus se gerunt. HONDED. *d. l. n.* 78.

XVI.

Possessio universitati semel acquisita per actus particularium; simpliciter quoque gestos, retinetur.

Quod si de possessione universitati semel acquisita constet, minus dubii est, per singularium actus illam conservari & retineri posse. GABRIEL. *L. V. concl. II. rubr. quod cujusc. univers. nom. n.* 3. POSTIVS *obs.* 36. *n.* 5. ita, ut nec opus sit, ut omnes quotidie actus exerceant possessorios, MYNSINGER. *Dec. II. R.* 19. *n.* 14. nec singulis id facientibus novo mandato, nec probatione scientiæ peculiari, cum possessio facilius conserveter, quam acquiratur, PEREZ. *ad tit. C. de acquir. l. ret. possess. n.* 21. atque si de acquisita constet, illam durare semper, nec amissam esse, censeatur. *L.* 17. *§.* 1. *L.* 3. *§.* 6. *L.* 44. *§.* 2. *π. de A. A. P.* MENOCH. *consil.* 725. POSTIVS *de Manuten. Obs.* 19. Nec dubitandum est de scientia & approbatione universitatis, postquam universitas possessionem semel recte atque ordine acquisivit, atque omnibus facultatem ea re utendi, exercendique possessionem, concessit.

Rationes asserti.

Imo

Imo mortuis quibusdam, vel etiam plerisque ex universitate, possessionem semel acquisitam non amitti, sed per unicum quoque universitatis membrum, uti alia jura, continuari eandem & retineri quam commodissime posse, modo pro universitate potius, quam pro semet solo, possidendi animus adsit, certum est. *arg. L 7. §. 2. in f. π. quod cujusc. univers. nom. Conf.* ZASIUS *ad L. 1. §. ult. circa f. π de A. A. P.* *Ejusdem ampliatio.*

XVII.

Quibus autem testibus hoc in passu uti universitas possit? & numne ipsa universitatis membra ad testimonium perhibendum admittenda sint? discutiendum venit. Et quemadmodum quoad prius ambigendum haut est, quin universitas quibuscunque testibus, quos Jus commune a testimonio dicendo non repellit, intentionem suam roborare valeat; ita quoad posterius distinctione opus esse intelligitur. Aut enim thema probandum ipsius universitatis, in abstracto sumtæ, patrimonium concernit, quod universorum causa comparatum est, non in singulorum utilitatem, *§. 2. J. de inutil. stipul. L 6. π. de contrab. emt.* aut ad singulorum interesse principaliter pertinet. *§. 6. J. de R. D. §. fin. J. de emt. vend.* Illo casu affirmativa, hoc vero negativa prævalet sententia. CARPZOV. *in Proc. tit. 13. art. 5. n* 77. Namque uti primo casu testis talis non dicitur ferre testimonium in propria causa, cum aliud sit universitas, aliud singuli de universitate. *L. 10. §. qui manumittitur 4. π. de in jus vocand* nec res singulos immediate tangit, sicque illi suo nomine agere aut ex- *Quos testes denominare possit universitas.* *Distinguitur quoad ipsa universitatis membra.* *Ratio distinctionis.*

cipere

cipere vetantur: ita posteriori casu, cum illorum proxime intersit & pecuniarie, in propria utique causa testes perhiberent testimonium; quod & ratio & LL. nostræ adversantur. Facitaque litem oriri super possessione v. c. Sylvæ publicæ, in qua singuli de universitate jus ligna cædendi prætendunt, quæstio est, an admittantur ad perhibendum desuper testimonium ipsa communitatis membra? minime vero, & quidem propter *L. 10. π. & L. 10. C. de testib.* STRUV. *S. J.C. exerc. 28. th. 39.* MASCARD. *de probat. concl. 1414. n. 1. seqq.* præsertim, cum per testes, ab adversa parte productos, probatum fuerit contrarium. BENINTEND. *d. cons. 17. n. 39.* Imo nec in causa possessorii summarissimi, eo casu, cum eadem ad singulorum utilitatem pertinet, membra universitatis ad dicendum testimonium admittenda, atque adeo nec, quod eodem recidit, latum ab iisdem testimonium attendendum esse, pronunciarunt, Collegio quodam dissentiente, JCti Jenenses, quibus assensit Ordo Vitembergensis, Mens. Novembr. 1695. M. DN. BERGER. *resolut. Lauterb. tit. de testib. ad verb. in causa universitatis.* Dissentire videtur RICHTER. *dissert. de universitate ejusdemque variis speciebus & juribus cap. 3. §. 18. quæ extat. in Vol. nov. part. II. exerc. jur. publ. a* DN. FRIZSCHIO *collect.* Ceterum quando diximus, homines de universitate pro illa aliquando testes admitti, id non pertinet ad eos, qui nomine communitatis in judicio agunt. MEVIUS *Part. II. Dec. 86.*

Casus, quo testes ex ipsa universitate non admittuntur.

Ampliatio.

Præjudicia.

XVIII.

XVIII.

His perveſtigatis, eo deveniendum eſt, ut diſpiciamus, quomodo amitti poſſeſſio univerſitatis ſoleat? Quod quidem contingit vel extincta vel ſuperſtite univerſitate. Extingui autem poteſt univerſitas variis modis: vel ob delictum per ſententiam, vel caſu fortuio; vel ſi ab hoſtibus ſubvertatur, aut tyranno, vel chaſmate, incendio, inundatione aquarum, vel porro morte omnium, vel etiam ſi omnes & ſinguli de illa univerſitate diſſolvantur, ſi auffugiant, civitatem relinquant, & ut vagabundi diſpergantur, ſine animo iterum coeundi. De quibus caſibus videatur RICHTER. *d. diſſert. cap. 5.* His vero omnibus caſibus deſinere poſſidere univerſitatem, palam eſt, cum, ſubjecto ſublato, accidentia tollantur, & perſona naturali extincta, poſſeſſio quoque evaneſcat. *L. 1. §. 15. π. ſi is, qui teſtam. lib.* Atque adeo ſi poſtea reſtituta univerſitas, vel nova in locum illius inſtituta, licet alia jura reviviſcant, nova tamen apprehenſione poſſeſſionis, quæ ſemel vacua facta, opus erit. Quæ tamen omnia ſecus ſe habent, ſi, fortaſſe propter hoſtium invaſionem, aut caſum violentum, conjunctim alio migraverint, vel diſſipati fuerint homines de univerſitate, cum animo redeundi. Quoniam enim tunc animum amittendi poſſeſſionem non habuerunt, ſine illo vero amiſſio poſſeſſionis nunquam fiat, *L. 8. π. de A. A. P.* procul dubio eandem retinent, quamdiu ab alio non fuit occupata. *Conf.* ZASIVS *ad §. fin. L. 1. π. de A. A. P.*

Quibus modis deſtrui & amittere poſſeſſionem ſoleat univerſitas?

Poſſeſſio; quæ ſemel vacua facta, non recipitur abſque nova ejusdem apprehenſione.

XIX.

Quibus casibus, & quatenus, universitas, citra ejusdem aestimationem, amittere possessionem consueverit.

Ceterum & fieri potest, ut superstite universitate, eaque in sede sua commorante, alius ab illa, vel contra illam, res, quæ universitatis sunt, possidere queat. Quod quando fit, necesse est, universitatem eatenus amittere possessionem, quatenus alter eandem acquisivit. Nam non magis eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel, in quo ego sedeo, tu sedere videaris, ut ait PAULUS *in L. 3. §. 5. π. de A. A. P.* quod nec intuitu quasi possesionis rerum incorporalium aliter se habet. BACHOV. & LUDWEL. *ad §. 2. J. de action.* Hoc vero quomodo contingat, jam examinandum est. Quemadmodum autem nulla possessio sine animo amitti potest, sive amissio incipiat ab animo, sive a corpore: *L. 8. π. de A. A. P. L. 1. §. 6. eod.* ita quoque palam est, universitatem absque voluntate non amittere & in alium transferre possessionem. Quod ut rectius intelligamus, distinguendum hic est, utrum universitas per se possideat, an per alios.

casus 1.

Quando universitas per se possidet, si omnes consentiant, se nolle amplius posſidere, nullum dubium est, quin protinus amittant possessionem, licet in fundo adhuc sint. *L. 3. §. 6. π. de A. A. P.*

casus 2.

Id quod etiam fit, si eo animo inde digrediantur, ne posſiderent. *L. 44. §. 2. π. eod.* & magis tunc, si ipsi alium constituant possesiorem, in illumque transferant possesſionem.

casus 3.

L. 33. & 34. π. d. t. vel alius de mandato & ordine ipsius universitatis: quo casu idem est, ac si ipsi omnes de universitate id fecissent. *L. 77. de R. J. in 6to* POSTIVS *Obs. 36. n. 20.*

XX.

XX.

Possessio universitatis, ex qua singula hujus membra commodum immediate sentiunt, non nisi consentientibus omnibus amittitur: secus est in ejusdem acquisitione, ad quam majoris quoque partis consensus sufficit.

Exempla.

Quæ, uti verissima sunt, si omnes consentiant; ita non adeo abscisse id concedendum, si major tantum pars in hanc rem præbuerit consensum. Nam etsi, ut supra dictum fuit, major pars in acquisitione possessionis sufficiat; illud etiam eo casu asserendum sit, si res totam universitatem ejusque patrimonium tangat, nec commodum vel damnum aliquod in singulos immediate inde redundet: hoc tamen casu aliud dicendum foret, scilicet non nisi omnium consensum sufficere ad possessionem amittendam. *cap. quod omnes 29. de R. J. in 6to. L. 11. π. de S. P. R.* CARPZOV. *P. I. c. 30. d. 13. in f. Gloss. ad L. 2. C. quæ sit long. consuet.* MEVIUS *ad Jus Lubec. Part. III. tit. 3. art. 2. n. 29.* Hinc si ponamus, majorem partem constituisse possessorem TITIVM rei, ad universitatis patrimonium alioqui pertinentis, ex necessitate alienatæ, hanc rem esse præjudicio reliquis, certum est, nec posse ab hisce, qui nec singuli illa re, aut commodo ejus possessionis uti poterant, actum istum impugnari. E contrario fac, majorem partem admisisse alios, ut pascant pecora in pratis, quibus omnes de universitate utuntur, quasi possessio hæc, a pluribus in alium translata, non poterit esse fraudi reliquis, quorum defuit assensus. Pariter si major pars onera quædam servitiaque in se receperit, præsterque domino, reliquis dissentientibus denegantibusque, nulla ex facto reliquorum, exactionem patientium, domino possessio vel quasi adversus omnes acquisita esse potest. ANGEL. *consil. 270.* FE-

LIN. *in cap. cum omnes. n. 12. de constitut.* Jason. *in L. Juris Gentium § hodie n. 8. vers. 13. π. de pact.* Ob hanc causam etiam, licet ex libris censualibus, (Erb-Registern) subditi ad servitia aliaque præstanda compelli possint, hique præsumtionem faciant pro domini possessione; id tamen intuitu omnium ac singulorum non aliter admittendum, quam si de omnium & singulorum consensu & confessione, circa has præstationes facta, constet, CARPZOV. *P. II. c. 6. d. 6.* MOLL. *Sem. L. IV. c. 37.* ERHARD. *de operib. rustic. concl. 15. pag. 294.*

XXI.

Multo minus particulares de universitate homines privato ausu ejusdem possessionem vel quasi in alium transferre possunt sive nomine universitatis id faciant, sive non.

Ex his vero facile apparet, multo minus singulos ac particulares homines unquam efficere posse, ut ex illorum actibus possessio vel quasi universitatis amittatur, transferaturque in alium. Nam si illi actus a singularibus, tanquam a singularibus, gesti, vel adversus hos particulares, ut tales, suscepti, nulla ratio est, ob quam dici queat, universitati toti illos obesse, vel adversus totam esse acquisitam, cum intentio utriusque repugnet. Quod si etiam hæc intentio adfuerit, atque membrum universitatis, ut tale, vel tanquam nomine universitatis, aliquid fecit, vel passum est, ex quo adversarius sibi adversus integrum corpus possessionem acquisitam esse, asserat, nec dubium de hujus animo supersit, nihilo tamen secius nihil possessionis adversus totam universitatem illi est acquisitum. Cum

Ratio.

enim aliud sit universitas, aliud singuli de universite, ut sæpius supra dictum, nullus singulorum, quod omnium est, in alium transferre potest, non magis scilicet ac

uti

uti alias alii per alium non poteſt iniqua conditio adferri, vel res illius per alium in alios transferri. *L. 74. π. de R. J. L. 5. L. 6. π. de O. N. N.* MODESTIN. PISTORIS *Vol. I. conſil. 12. n. 13.* CARPZ. *P. II. c. 6. d. 1.* Quam ſententiam propugnat POSTIUS *Obſ. 36. n. 6.* Fac itaque Nobilem, vel magiſtratum alium, exegiſſe a ſubdito Gabellam vel laudemium, illumque hæc præſtitiſſe, vel in unius fundo jus paſcendi exercuiſſe, illumque tacuiſſe, unum vero atque alterum feciſſe idem; vel etiam indixiſſe Dominum operas omnibus, aut juſſiſſe, ut cereviſiam in certa caupona emant, quosdam etiam obtemperaſſe, vel privato nomine, vel etiam tanquam membra communitatis: non poteſt ideo dici, adverſus univerſitatem poſſeſſionem quæſitam eſſe, illamque libertatis poſſeſſionem amiſiſſe, ſi maxime vel Rector univerſitatis, vel qui alio nomine illi præeſt, tale quid imponi ſibi paſſus fuiſſet. ROTA RECENT. *Part. IV. deciſ. 244. n. 6.* POSTIVS *d. l. n. 20.* CARPZOV. *Lib I. Reſp. 66. n. 18.* M. DN. BERGER. reſolut. Lauterb. tit. de A. A. P. *p. 712.* Pariter ſi fortaſſe civitas privilegio gaudet, quo immunitas ab omnibus vectigalibus conceſſa, ſi ſinguli etiam, tanquam cives, vectigalia ſolverint, non tamen ideo ſtatim poſſeſſio vel quaſi exigendi vectigalia adverſus civitatem acquiſita, aut poſſeſſio vel quaſi immunitatis amiſſa habetur. CARPZ. *P. II. c. 6. d. 1.* Et inde eſt, quod DD. dicant, quod ſi perſonæ ſingulares contraveniant privilegio conceſſo populo, propter hoc non perdat civitas privilegium. MODEST. PISTORIS *Vol. I conſil. 12. n. 12.*

Exemplum 1

Exemplum 2

XXII.

Quod si vero major universitatis pars, vel etiam particulares ejusdem homines, ex mandato reliquorum, & nomine universitatis, quid susceperunt, pro omnium facto idem habetur. Idem quoque extenditur ad mandatum tacitum, & subquentem ratihabitionem universitatis.

Ceterum hæc, quæ diximus tum de majori parte, tum de singulis particularibus quibusdam, aliter se tunc habere, certum est, si major pars, vel quidam particulares, id, quod fecerunt, ex mandato reliquorum susceperunt, nomine universitatis: quo casu procul dubio, uti ex supra dictis fluit, ob assensum præstitum, hoc factum pro omnium facto habendum est. BURATUS *Decis. 312. n. 10.* Quod item obtinebit, si mandatum tacitum, vel ratihabitio reliquorum, utroque casu accedat. Itaque si ab adversario adversus majorem partem, vel quosdam particulares, tanquem membra universitatis, actus possessorii exerciti, & ab his nomine universitatis aliquid factum, ex quo possessio vel quasi in alium translata censeri queat, reliquis omnibus scientibus & non contradicentibus, totque actus contigerunt, ex quibus scientia & patientia omnium intelligi potest, minus dubitandum, quin majoris partis, (scilicet ubi omnium consensu non opus est,) vel particularium, facta activa & passiva reliquis præjudicent, ita, ut adversus totam universitatem possessio vel quasi acquisita censeatur. NICOL. FESTAS. *de collect. part. 3. n. 12.* POSTIUS *d. l. n. 20.* Ita, ut

Exemplum.

exemplum non desit, si forte Dominus jurisdictionis omnibus subditis indixerit servitia, laudemia, receperitque a quibusdam, tanquam a membris totius corporis, reliqui si hoc patiantur, nec contradicant, sed assensum præbeant, nullum dubium, quin hæc patientia & tolerantia præjudicet ipsi universitati, ita, ut adver-

adversus totam possessio acquisita censeatur. M. DN. BERGER. *d. l.* Pertinet huc locus notabilis PANORMITANI *Lib. II. consil. 18.* quem adjicere, e re visum. Concernit vero Gabellam, & hanc quæstionem: An universitas Auximiensis immunitatem vectigalium de mercibus suis, quas per territorium Rachanatense transportaret, solutione civium quorundam suorum amisisset? *Non*, inquit, *hoc Auximiensium jus in eundi vehendique facultate consistit, sed in immunitate vectigalium, si quando merces suas per terram Rachanatensium transmitterent: non itaque perditur hoc jus sive immunitas, nisi per facta contraria, solutiones videlicet, quæ ob merces transvectas Rachanatensibus præstitæ sunt. Neque, mea sententia, sufficit, Rachanatenses docere, aliquos ex civibus Auximiensibus transeuntes solvisse, quia id jus universitati Auximiensi competit, estque jus incorporale, eique non præscribitur, nisi detur certa scientia universitatis ejus, contra quam præscribitur: quia sola domini patientia est possessio in istiusmodi incorporalibus, nec aliter haberi possessio potest, ut probatur in L. 2. C. de servit. & aqua, plene per Innocent. in cap. bonæ 2. de postul. prælat. & in cap. conquerente X. de offic. Archidiac. & cap. 2. de in integr. restit. & in multis aliis locis, per Barthol. in d. L. 1. π. de itin. act. priv. & Cyn. in L. 2. C. de servit. & aqu. Nisi ergo major pars populi Auximiensis probetur solvisse, non potest dici, inchoatam esse præscriptionem contra universitatem, vel nisi toties, & ita palam fuisset a majori parte solutio facta, ut verisimiliter scientia ejus ad universitatem ipsam, apud quam immunitas illa consistebat, perveni-*

Exemplum

venisset, ut notatur in juribus praeallegatis; alias non datur negligentia universitatis, nec possessio potest acquiri ex parte alterius &c.

XXIII.

Cautela pro iis, quibus libertatis suæ integritas cordi est.

Patet vero ex dictis, svadendum esse his casibus omnibus illis, qui libertatem suam servare integram volunt, ut non temere taceant, sed de jure suo tempestive protestentur, illosque, a quibus invitis aliquid exigitur, defendant, ut eo minus & illis præjudicium adferri possit, vel pedetentim eadem fata experiantur, memores, quod dici solet, exempla non consistere, ubi cœperunt. ROSENKORB *practic. quæst. cap. 37. n. 16.*

XXIV.

Cautela pro Advocato, possidere quem ab universitate, probaturo.

Elucescit exinde porro, quorsum respicere debeat Advocatus, si adversus universitatem ex ejusmodi actibus possessionem acquisitam asserere velit, ita, ut non opus sit, hic esse prolixum, præsertim cum brevitati studendum. Inprimis vero videat & curet, ne scientiam, patientiam ac paritionem subditorum & universitatis in articulando omittat, si mandatum expressum nequeat probare; utque etiam, actus nomine & intuitu universitatis totius contigisse, exprimat. CARPZ. *Lib. I. Resp. 66.* Quo etiam loco addere placet quæsitum: utrum contra universos possessio acquisita censeatur, si testes in folle dixerint, omnes subditos, nullo casuum discrimine, liberos exhibuisse ad famuliti

Haud negligendum est illorum testimonium, qui in folle dicunt, om.

litium, solvisse laudemium, vel in definite dicant, sie haben die Unterthanen sehen fröhnen / sie wären auf gewöhnliche Ansage / Erfordern / kommen / und hätten die streitigen Dienste geleistet. 2c. quales depositiones allegat ERHARDUS *de operib. rustic. concl. 15. pag. 297.* Quod nonnulli negant, existimantes, generalem & incertam testium depositionem minus sufficere; actus vero possessorios, quibus possessio constituitur, spaciatim exprimi oportere. Sed postquam universalis locutio, & quæ illi æquipollet, indefinita, pro incerta haberi nequit, atque ille, qui omne dicit, nihil excludit. *L 68. pr. de Legat. III. L. 29. de hered. instit.* actus etiam possessorii satis certi possunt esse, licet ab omnibus in universitate profecti dicantur, non video, cur ex ejusmodi depositione possessio adversus totam universitatem probari nequeat, & maxime tùm, si testis addat, Er könne sich auf keinen besinnen / der es nicht gethan: Ex qua ratione etiam DD. per illos testes probari possessionem universitatis, volunt, qui dicunt, se vidisse communitatem percepisse fructus, vel possedisse. HONDED. *Vol. I. Part. consult. 17. n. 15. & 75.* Interim illi, adversos quem talis probatio suscepta est, svadendum, ut vel in interrogatoriis, vel in probatione, quam ipse suscipit, contraria testes curet interrogari: Ob sie gesehen und wissen, daß auch Titius und Sempronius dergleichen gethan habe? ob nicht vielmehr diese sich dessen entbrochen? &c. Quo facto sæpe eveniet, ut veritas eo felicius detegatur.

mnes de universitate quod fecisse præsertim si addant, neminem se nominare posse, qui idem non fecerit.

XXV.

Ad perbibendum adversus universitatem testimonium ipsa ejusdem membra cogi non possunt, nisi veritas aliter haberi nequeat.

Ceterum, utrum ex ipsa universitate testes produci possint contra istam, si quæras, respondeo, posse quidem, si velint, testimonium perhibere. FARINAC. *quæst. 60. n. 489.* CARPZOV. *Lib. III. Resp. 93. n. 7.* Alia quæstio est, utrum cogi possint? Qua parte repetendam existimo distinctionem supra thes. XVII. allatam. Quocunque enim casu testes ex universitate pro universitate admitti non possunt, eo casu nec etiam possunt cogi, cum adversus se ipsum testimonium perhibere nemo compellendus sit *L. 10. §. 4. de quæstionib. L. 7. C. de testib.* CARPZOV. *in Proc. tit. 14. art. 4. n. 27.* BERLICH. *II. c. 45. n. 23.* Quod vero ad alteram casum, quo scilicet ideo admittuntur pro universitate, quoniam interesse proximum ex ista re non sentiunt, attinet, nec eo casu cogi posse, existimo, quoniam affectione tenentur erga universitatem totam, cui si bene est, singulis etiam per consequentiam utilitas quædam contingit FARINAC. *de testib. quæst. 60. n. 489.* Secundum quam sententiam in summo Senatu Saxonico judicatum esse refert CARPZOV. *Lib. III. Resp. 93.* excipiens tamen casum, ubi veritas aliter haberi nequit.

Ob quam caussam non credatur unico testi, se nomine & mandato universitatis quid fecisse, ex quo possessio in alium translata, asseveranti?

Quo loco obiter notandum, uni testi non credi, qui affirmat, se nomine & mandato universitatis aliquid fecisse, ex quo alteri possessio acquisita, nisi de mandato certo constet: quoniam enim hic testis, si absque mandato quid fecit, universitati ad id, quod interest, tenetur, in causa quasi propria deponit, sicque nullam fidem meretur. BENINTEND. *Decis. 70. num. 4.*

XXVI.

XXVI.

Reſtat, ut ſoliciti ſimus de eo caſu, quando per alios poſſidet univerſitas, puta per adminiſtratores, procuratores, actores, ſervos, colonos & inquilinos: quo quidem eodem modo poſſeſſio amittitur, & alii acquiritur, ſi in perſona illorum aliquid contingat, quod, ſi in noſtra contigiſſet, poſſeſſionem adimeret. Itaque ſi illi, qui nomine univerſitatis poſſident, vi dejecti ſunt, & ipſa univerſitas de poſſeſſione dejecta videtur, eosdem dejectos, per quos poſſidebat. *L. 1. §. 22. π. de vi & vi armata.* Atque adeo dejicienti poſſeſſio eſt acquiſita. Idem eſt, ſi ejusmodi homines aliis ſponte poſſeſſionem tradiderint, id eſt, plane & aperte tranſtulerint (non autem ſi detentionem retineant. *L. 32. §. 1. π. de A. A. P.*) *L. 33. §. 4. π. de uſucap. L. 44. §. pen. de A. A. P. L. 3. §. 9. π. eod.* juxta vulgarem lectionem: *ſi alia tradiderint*, quæ præferenda videtur Florentinæ habenti *tradiderim.* DONELLUS *L. V. c. 11.* Quibus caſibus animus retinendæ poſſeſſionis, ob alterius invaſionem & inſiſtentiam, deſinit. Namque animo poſſidere non eſt quodcunque animo complexus aut imaginatus fueris, poſſidere. Si hoc enim eſſet, quid quis non poſſideret? Sed animo poſſidere, eſt id posſidere animo noſtro ſive affectione, cui poſſidendo nihil impedimento eſt. Vid. *L. 25. §. 1. ff. d. A. A. P.* CUJACIUS *ad. L. 44. π. de A. A. P.* Atque hinc dicunt DD. communitati præjudicari quoad pasſivam poſſesſionem vel quaſi per ipſius priores & officiales, quibus regitur, ſi ſcilicet per illos posſideat vel quaſi. BURATUS *Deciſ. 691. n. 8.* POSTIUS *de manuten. obſ.*

Quibus caſibus poſſeſſio univerſitatis per alios exercita, amiſſa cenſeatur?

 36. n.

36. n. 20. Et fortius, si eorum gesta tacite per communitatem approbarentur & ratificarentur. BVRATVS *d. l. decis. 691. n. 9.*

XXVII.

Uti vero inter veteres conveniebat facile eo casu, si fortasse colonus, vel similis persona, decesserat; non amittere dominum possessionem, ejus rei quam alieno corpore detinuerat. *L. 40. §. 1. π. de A. A. P.* ita ea de re contentio erat, numne dominus, si colonus e fundo sponte sua, non expulsus, animo de relinquendæ possessionis, discedit, possessionem amittat, quam nondum alius est ingressus, vel quam ipse nondum neglexit? PROCULUS hoc negabat, quæ illius sententia superest *in L. 31. π. de dol. mal.* SABINUS autem existimabat, Dominum amittere possessionem, cujus sententia ex *L. 31. π. A. A. P.* quæ ex libris Pomponii ad Sabinum desumta est, item ex *L. 40. §. 1. eod.* quæ est Africani discipuli Juliani, qui Sabinianus fuit, cognosci potest. CUJACIUS *ad dd. LL.* Sed JUSTINIANUS *in L. ult. C. eod.* quæ est una ex L. decisionibus, sustulit illam controversiam, & Proculi partibus accedens definivit, ut sive servus, sive procurator, vel colonus, vel inquilinus, vel quisquam alius, per quem licentia est nobis possidere, corporaliter nactam possessionem cujuscunque rei dereliquerit, vel alii prodiderit, desidia forte vel dolo, ut locus aperiatur alii eandem possessionem detinere, nihil penitus Domino præjudicii geneneretur, ne ex aliena malignitate damnum emergat. Quamdiu ergo nemo occupavit

Antiqua contentio inter Proculum & Sabinum quomodo a Justiniano fuerit decisa?

pavit possessionem, animo retinet dominus, & si turbatur, interdictis retinendæ possessionis uti. Quod si autem possessio ab alio occupata sit, nec facultas domino superest rei suæ insistendi, utique amissam esse possessionem, ex dictis apparet. Ad hunc enim casum, uti & ad illum, si a colono, vel simili persona possessio in alium translata, Legem hanc finalem non pertinere, & verba ejus & ratio indicat. Atque adeo frustraneus illorum est conatus, qui ex hac lege remedium aliquod retinendæ possessionis domino amittenti possessionem facto & culpa servi, coloni, vel alterius cujusvis similis personæ, per quam possidet, dari existimant: quos recenset MENOCH. *remedio recuper. possess. 12. n. 1. seqq.* Facilius vero isti tolerari possent Pragmatici, qui, ex hac lege posse amissam recuperari, tradunt, sicque, præter remedia alia recuperandæ possessionis, novum aliquod fingunt. MENOCH. *d. l. num. 9. & qui ibidem citantur*, quod tamen textum penitius inspiciens vix ac ne vix quidem ex eo eruere poterit. Quæ omnia uberius ostendit FABER *de errorib. Pragmaticor. Dec. II. error. 2.* Quamvis ab illa sententia MENOCHII *n. 9. d. l.* relata, quam Pragmatici communiter probant, BRUNNEMANN. *ad d. L. fin.* in foro non temere recedendum esse, existimem. *Conf.* CUJACIUS *ad d. L. fin.* DONELLUS *d. l.* Hæc vero quæ dicta sunt ad universitatem quoque applicari posse, nullum dubium est. De cetero supra dictum est thesi XIX. universitatem possessionem non amittere absque voluntate & animo. Paucis id hic monendum, nec etiam id fieri absque corpore.

 L. 8.

L. 8. π. de A. A. P. quamvis interdum ſolo corpore fieri dicatur, cum præter intentionem facultas rei corporaliter inſiſtendi adenita eſt, vel ab hoſte aut judice. *L. 30. §. 2. π. eod.* vel ſi per violentam dejectionem *L. 15. π. eod. aut per furtum, d. L. 15. &c.* LAUTERB. *h. t.* ita ut ſic ex neceſſitate animus poſſidendi deponendus veniat. Quidnam vero juris ſit, ſi tale quod intuitu ſingularium de univerſitate contigerit, ex antea dictis facile poterit conſtare. Mihi latius exſequi iſta non licet. Te vero, benevole Lector, ut ea, quæ, pro ratione inſtituti, de poſſeſſione univerſitatis in chartam conjeci, meliorem in partem interpreteris, & pleniorem hujus materiæ hactenus non vulgaris tractationem ab aliis expectes, maximopere rogo atque obteſtor. Interim DEO ſit gloria, & cum eodem

F I N I S.

COROLLARIA:

I.

Univerſitatem non conſtituunt illi, quos vocamus Hüffnere, Coßäthen, licet collectivo nomine indicentur: adeoque nec hujus intuitu reſtitutionis in integrum beneficio gaudent.

II.

II.

Univerſitas in cauſis judicialibus opus habet Syndico, licet eadem parva ſit, & pars adverſa id non urgeat.

III.

Univerſitas morte plerorumque non finitur.

IV.

Clauſula Syndicatibus ut vocantur inſeri conſveta: vor unſere Nachkommen, neceſſaria non eſt.

V.

Aliter ſe res habet cum renunciatione beneficii diviſionis, quæ omnino, quoties univerſitas actoris loco eſt, in Syndicatu requiritur.

VI.

Defectus tamen illius clauſulæ, poſt litis conteſtationem, a parte adverſa cum effectu allegari nequit.

VII.

VII.

Ex contractu universitatis singuli, qua tales, non tenentur.

VIII.

Universitatis Syndici in solidum constituti in dubio non censentur, & maxime in Electoratu Saxonico, ubi nec ex tutoribus vel curatoribus pluribus unus in solidum agere & respondere potest.

